

De Masie de Dominica In[illegible]

[illegible]

DISPVTATIO
DE
DOMINICAE
INCARNATIONIS MYSTERIO.

Promota à Fr. CYPRIANO de MASIS Florentino
Augustiniano Sacrę Theologię Magistro
ac in almo S. Nicolai Pisarum Theo-
logico Lycœo Regente.

*Pro D. P. Augustini, & S. Thomæ firmis-
sima sententia.*



PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M.DC.XXI.
Superiorum permissu.

F. Felicis Perotti Ophidæ in alma S. Nicolai Piſar. Exedra Studentium Magiſtri Dedicantis.

MAGISTRO

FVLGENTIO

GALLVCCIO

Priori Generali Ord. Eremitar. S. Auguſtini.

Anagrammatiſmus.

Fulgentiſſimo Patri, ſcientiarum lumini,
Ac Tutori, Duci (gloria Religionis) egregio.

CARMEN EIVSDEM F.P.

F ulgida doctrinæ in Te Præsul lucet imago;
V irtutum, & genij lucta perennis inest;
L uce noua penetrasti obscuros Palladis ortus,
G ressus edocuit Arsq; benigna suos,
E t rerum dedit abstrusas pertingere causas,
N ominis vnde tui gloria tanta manet.
T u nouus Alcides clauo vibrante tueris
I nnumeros: nemo transijt orbus ope;
O mnes (Stemma docet) de Montibus aspicis æque
G *allus ad ima eadem munera vocis habet.*
A d Te quod properem, ~~hac~~ nunc hec Theoremata sumant
L umen ab Ingenij luce micante tui,
L ongè, quis miretur? amico numine Gallus
V oce trahit; viridis lilij & vmbra placet,
C eù properent alij, quid? Multis sufficis vnus,
C unctos & pietas allicit atq; fides.
I am Gallucce Theses sumas Gallo Auspice: Gallus
O re sonans nodos (meq; tacente) luet.

ARGVMENTVM

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Eccles. 3.

AGgredimur (Iesu auspice) nouum, an antiquum dicamus? Sed potius nouantiquum Mysterium Thesibus explicare, publicoq; certamini exponere. Nouantiquum mysterium meritò fortasse id vocauimus: Incarnationis enim Christi si tempus spectemus, inter antiqua hoc esse numerandum patet; Si autem mysterium attendamus, vere semper nouum, vere semper admirabile, & nunquam satis explicatum; Siquidem quod Verbum diuinum caro sit factum, sicuti rem huiusmodi grauibus ac per obscuris difficultatibus inuolutam esse profitemur; ita nobilitate, ac splendore (Augustissimę Trinitatis mysterio semper excepto) cęteris Theologiæ Quęstionibus antecellere iudicamus. Mira etenim eius profunditas perspicacissimum illud, ac incomparabile illius magni Patris nostri Augustini ingeniũ adeò exterruit, vt in tanti, tamq; admirabilis secreti contemplatione defixus, quid sacramenti haberet (Verbum caro factum est) ne suspicari quidem posset. Et re vera, quis quęso explicare audeat Quomodo eadem persona fuerit sine mutatione bis genita? Quomodo increatum, ac simpllcissimum ex hominis natura creata, Verbiq; persona fuerit sine imperfectione compositum, ex patre sine matre ante sæcula genitũ, quomodo ex matre sine patre fuerit in tempore procreatum? Quid igitur mortalis homo de tanto Mysterio dignè, vt par est proferre possit? præsertim si solius fidei contemplatione cernendum est ad quę prouehatur humilitas carnis, & ad quę inclinetur altitudo Deitatis. Quid igitur? A tanti mysterij inuestigatione desistemus, eorum ne timebimus repręhensiones Qui in scholasticos Theologos inuehuntur, quod de

tantis mysterijs subtiliter disputent; Altiora se quærant, & plus quàm oporteat (contra Sapientis & Apostoli pręcepta) sapere non timeant? Minime verò. Hæc etenim ad eos spectant, qui vti infideli, & arroganti animo perscrutantur diuina Quamobrẽ diuinitus fit, vt ab ea (quam non quærunt (diuina gloria, & maiestate opprimantur: A nobis verò ea potius mente hęc sacratissima mysteria tractanda, & inquirenda suscipiuntur, vt gratis animis, summa Dei beneficia recolamus, dicentes. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, eripuit oculos meos à lachrimis, & pedes meos à lapsu: pijsq; mentis nostrę gressibus per amplissimum Dominicę incarnationis campum diuinis Spiritus sancti gratiarum vndis perfluentem, grauissimis Sanctorum Patrum auctoritatibus opimum, nec non Sacris Conciliorum decretis vestitum, vallatum spatiari oblectantes, ab eorũ vestigijs Fulgentissimo præsertim Aurelio Augustino, hoc est sole, & clarissimo inter cætera sacrorum Doctorum sydera D. Thoma Ducibus, ne latum quidem vnguem videamur recedere. Siquidem ea est horum Doctorum doctrinæ auctoritas, & sententiarum veritas, vt numquam qui eam tenuit inueniatur à veritatis tramite deuiasse Innocentius VI. ad perpetuam memoriam textatum relinquit. Serm. de laudibus S. Tho. qui incipit & ecce plusquam Salomon hic.

De conuenientia Dominicæ Incarnationis. I.

A Fulgentissimo Doctorum lumine, magnoq; Patre nostro Augustino edocti, ac illuminati lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 29. Profitemur incarnationem Verbi diuini summum esse exemplum gratiæ, nec Dei gratiam potuisse gratius commendari, quàm vt ipse Dei filius hominem indueret. Quem sequitur S. Tho. 3. p. q. 1. a. 1. asserens incarnationem esse Deo conuenientem, cum ipsa Dei natura sit essentia bonitatis, & ad rationem boni pertineat se se alijs communicare; & ita asserimus communicationem sui pertinere ad rationem boni ea ratione, qua bonum est simpliciter absolutè, & omnibus modis, quod quia complectitur bonum naturale, & liberum, & quia in Deo est summa bonitas, est etiam summa cõmunicatio, naturalis scilicet re-

spectu

ſpectu eorum quæ ſunt ad intra, & libera reſpectu eorũ quæ ſunt ad extra inter quæ opus altiſsimũ, ac gratioſiſsimũ eſt Dominica incarnatio, tũ ratione ſũmæ liberalitatis, tũ etiã certę manifeſtationis, qua per Deum viſibilem cognoſcuntur potiſsimum inuiſibilia Dei attributa: & cum addat S. Pater Auguſtinus de prędeſt. ſanctorum cap. 25. Hoc incarnationis myſterio ita eſſe ſubleuatam humanam naturam, vt quo altius attollatur non habeat, addimus etiam nos quod quamquam incarnatio ſit ſupra debitum, & conditionẽ humanæ naturæ, fuit tamen illi valde conueniens, hoc eſt magnum bonũ, & perfectionem illi afferens, eamq; eleuans ad eſſe diuinum.

De Neceſſitate Dominicę Incarnationis. II.

Neceſsitatem huiuſmodi diuinitus explicat S. P. Auguſtinus 13. de Trinit. cap. 10. dicens Non defuiſſe aliũ modum reparandi genus humanum præter verbi incarnationem, ſed non fuiſſe congruentiorem, quem ſequitur S. Tho. 3. p. q. 1. a. 2. dicens, Non fuiſſe ſimpliciter neceſſarium ſed tantum ſecundum quid ad reparationem generis humani Verbum incarnari. Non eam inde colligimus incarnationis neceſsitatẽ, quin potuerit Deus abſq; vlla imperfectione, aut indecentia, vel perditum, ac profligatum hominum genus ſine remedio relinquere, vel illud in ueterem cùm dignitatis, tum gratię gradum reſtituere per gratam, & liberalem peccati condonationem quoad pœnam, & quoad culpam loquendo, abſq; vlla lęſione iuſtitię, multiſq; alijs modis, quibus præuidebat Deus redemptionẽ hominum perfici potuiſſe, ſi ipſe voluiſſet. Nihilominus quia decẽtius fuit naturam humanam reparare per diuinam iuſtitiam, quam per ſolam potentiam, & miſericordiam fatemur ad finem talem nullum aptius, vel cõuenientius medium reperiri potuiſſe incarnatione ipſa. At quia S. P. Auguſt. in Ench. cap. 108. & 9. de Ciuit. cap. 17. & Serm. 8. de verbis Apoſt. Neque per ipſum liberaremur mediatorẽ hominem Chriſtum niſi eſſet Deus, quem ſequitur S. Tho. ſupra ad 2. Dicens falſum eſſe quod purus homo poſsit ſatiſfacere

tisfacere perfectè idest secūdum quandam adæquatam rationem, & recompēsationem offensæ; Hinc asserimus etiā, (stante quod Deus statuerit genus humanum reparandum esse per satisfactionem de toto rigore iustitiæ, quā per potentiam Dei etiam absolutam non poterat pura creatura offerre, ratione huius finis assequendi nō congruam solum sed necessariā simpliciter Dominicam incarnationem extitisse, Nisi .n. Christus moreretur, homo non redimeretur, & non redemptus periret ait S. P. August. super illud Pauli. Decebat eum propter quem omnia. ad heb.

De satisfactione Christi. III.

IVxta præassignatam S. P. Augustini, & D. Tho. doctrinam affirmamus Christo de condigno ad æqualitatem perfectam de toto iustitiæ rigore Deo satisfecisse pro vniuersis hominum peccatis, quoad culpam, & pęnam secundum sufficientiam, at vero secundum efficaciam solum satisfecit pro his qui saluantur. Quæ quidem Christi satisfactio fuit condigna, & ęqualis per se, & ab intrinseco ex natura rei, & non ex sola Dei acceptatione extrinseca, habuit .n. ex natura rei in ratione satisfactionis valorem simpliciter infinitum secundum esse morale ex proprijs satisfacientis, & alias indebitis ipsi Deo creditori. Cuius quidem satisfactorij valoris Persona Christi fuit causa per se, & natura humana ei vnita fuit conditio necessario requisita ad talem satisfactorium valorem, non enim satisfecit Christus vt Deus tantum, neque vt homo tantum, sed vt Deus hypostaticè homo. Hunc itaque scias satisfecisse per ipsum valorem infinitum moraliter, tamquam per conditionem moralem satisfactionis, nō vero teneas eum satisfecisse per huiusmodi valorem, quia esset satisfactio ipsa: Hæc .n. fuit passio, & actus Christi eliciti, vt suppositi Diuini humanati specificatiue quorum habebat Christus liberum dominium. Qui quidem actus à voluntate libera Christi, vt viatoris habebant, quod essent liberi, à conformitate ad legem quod essent morales, à charitate, & gratia, quod essent satisfactorij, & meritorij formaliter, & ab infinita personæ

diuinæ dignitate quod essent infiniti valoris. Vnde fit vt valor moralis formaliter sumatur ex dignitate infinita principij quod tales actus elicit, non tamen, ex conatu & affectu operantis, aut ex intensione actus, hæc etenim sunt libera, & voluntaria, sicut actuale eorum exercitium, & duratio; ac proinde valor ex intentione, & alijs liberis circunstantijs proueniens erit maior aut minor iuxta differētiā illarum quę liberè variantur & crescunt atq; decrescunt: Quod tamen non affirmamus de valore qui ex dignitate personæ et principij quod resultat; iste enim est determinatus, & inuariabilis; Nam quòd actus dignitatem principij participet, est necessarium, vnde omnia quæ sunt in tali actu siue sit gradus intensus, siue remissus, æqualem à supposito valorem desumunt, cum proueniat à persona, quæ quando operatur semper operatur necessariò secundum dignitatem quam naturaliter habet, & simul influit totū valorem, quem habet de se. Qua propter actus à tali persona Christi elicitus secundum esse numericum, & singulare est infiniti valoris si consideretur vt est à tali persona infinita, imò quęlibet operatio etiam indiuisibilis, & momentanea habet valorē huiusmodi, quod omnes simul neq; vna maioris valoris est intensiuè quam alia, neque simul omnes alternam sic superant; & singulos, quos in ratione satisfactionis perfectæ, męriti, & consummatæ redemptionis vniuersæ simul producere potuerunt effectus, potuit etiam producere quęlibet seorsum sumpta. Immò si eiusdem operis Christi quod successiuè per partes fiebat partem cum toto comparemus intensiuè tantus valor erat in qualibet parte sicut in opere toto. Dicuntur autē morales Christi operationes in passione compleri & consumari, redemptioq; nostra in sacro eloquio Passioni specialiter tribuitur, quantū ad applicationem eiusdem; Rursus quia ibi finitus est totus earum decursus; tandem, quia ex Dei ordinatione statutum ita fuerat, vt nimirum simul per omnes Redemptio fieret, & in illius morte opere redemptionis pręcipuo, efficaciter consummaretur, atq; ius ad omnium culparum, & pænarum remissionem, insuper ad gloriam acquireretur.

De satisfactione vulneris lancea Christo iam mortuo inflicto. IIII.

DVm ex præordinatione Dei in pasſione, & morte Christi conſummatum noſtrę Redemptionis opus affirmamus Quærenti, an vulnus lanceæ quod de fide Christo iam mortuo fuit inflictum à ſatisfactionis, redemptionis, ac meriti finibus ſit ſecludendum? Occurrit S. Pater Auguſt. tract. 120. in Ioan. quo loci, de ſanguine, qui a Chriſti latere exijt Sermonem faciens, ait. Ille ſanguis in remiſsionem fuſus eſt peccatorum, & 4. de Cathechi. cap. 4. Percuſſit latus lancea perſecutor, & fudit prætium Redemptoris. Quem ſequitur D. P. Ambroſius. lib. 5. de Sacram. cap. 1. Aqua fluxit, & ſanguis: quare aqua, quare ſanguis? Aqua (inquit) vt emundaret, ſanguis vt redimeret. Fatemur itaq; vulnus illud, vt mortuo corpori inflictum pręciſe, vtq; ab ſeparata anima acceptatum, meriti ac ſatisfactionis in ſe non habere rationem, ſed vt præuiſum à Chriſto Domino, liberéq; acceptatum dum adhuc viueret eratq; mæriti capax vnà cum ſanguine, qui de illo exiuit in prætium Redemptionis noſtrę oblatum fuiſſe profitemur. Valeant ergo qui contra ſentiunt dicentes quod iam corpus illud exanime capax meriti non erat neque ſaparata anima quamuis voluntarie eam acceptaſſe iniuriam illam ſibi ſuo in corpore factam intelligatur; cum iam in ſtatu mærendi non eſſet qui generali lege Dei vſq; ad vltimum tãtum vitæ noſtrę inſtans perſeuerat.

De Trincipio ſatisfactionis Chriſti. V.

S.P. Auguſt. in Enchirid. cap. 108. docet Neque per ipſum liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum niſi eſſet & Deus. In qua propoſitione & alijs ſimilibus; cum terminus in his propoſitionibus, & alijs ſimilibus in ſubiecto poſitus ſecundum locutionis proprietatem ſtet pro ſuppoſito denotans ipſum eſſe principium quod proximum operationis; Docet etiã S. Tho. varijs in locis ſed præcipue in d. 5. q. 1. a. 1. quod

actiones

actiones sunt suppositorũ, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito, non enim inquit humanitas generat, sed fortes virtute suæ naturæ; Hinc firmiter sustinemus, Personam Verbi in humana natura subsistentem, fuisse principium quod satisfactionis; humanitas autem eiusdem satisfactionis fuit tantum principium formale quo; Res .n. nunquam intelligitur completa ad operandum vt quod, nisi prius intelligatur completa ad existendum vt quod, hoc autem tantum per suppositi suppositalitatem naturam terminantem fieri non dubitamus.

De valore naturæ humanæ Christi. VI.

Aperte docet S. Tho. 1.p.q.25.a.6. ad 4. quod humanitas Christi ex hoc quod est vnita Deo, habet quamdam dignitatem infinitam. Nos itaq; infinitatem valoris in Christi humanitate, & eius operationibus creatis ex eo vel maximè affirmamus, non quia ipsa desumatur à persona Verbi, prout operatur per infinitam potentiam, & diuinam virtutem; nam hac ratione talis valor infinitus non esset factibilis, sed quia prouenit ex coniunctione naturæ humanæ ad diuinam personam; Cum nulla etenim possit esse maior coniunctio etiã de potentia Dei absoluta ad esse diuinum, quam personalis, arbitramur imò absolutè dicimus infinitatem huiusmodi ex præassignata coniunctione ad humanitatem, & eius operationes deriuari. Hanc obrẽ quamuis concedamus huiusmodi valorem, qui ex natura rei competit humanitati Christi, seu eius operationibus, esse ens reale creatum, negamus tamen in genere valoris esse aliquid finitum. Alia enim est ratio valoris, & alia entis, a diuersisq; principijs desumuntur. Nam ratiò entis sumitur ab entitate, & actualitate, ratio autẽ valoris sumitur ex dignitate personæ, præsertim si loquamur de valore morali, non autẽ de physico, istum enim non esse infinitum nisi sit infinita entitas, etiam nos libenter concedimus; ac proinde non negamus, quod sicut actiones Christi in quantum alteta ab altera in specie, seu virtute differebãt, erant finitæ, ita etiam valor, & bonitas illarum specifica erat finita. Cũ

hoc tamen rectè stat quod valor in indiuiduo, & singulari crescat in infinitũ cũ sumatur à dignitate personę infinitæ.

De Motiuo Incarnationis Verbi. VII.

AVdiatur S. P. August. varijs in locis sed in Psal. 35. Si tu (inquit) o homo non desereres Deum, non fieret propter te homo Deus; & in Serm. 8. & 9. de Verbis Apostoli; Si homo non perijsset, filius hominis non venisset. Quem sequitur S. Tho. 3. p. q. 1. a. 3. dicens quod si Homo non peccasset Deus non incarnatus fuisset. Ea enim quæ ex sola Dei voluntate prouenîunt supra omne creaturę debitum, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam diuina volũtas nobis innotescit, in qua cum vbique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur; Hinc etiam nos sustinemus, decretũ prædestinationis Christi depẽdens fuisse à scientia visionis peccati in genere causæ materialis, & in hoc sẽsu prędestinationem Christi præsupponere pręscientiam futurorum, esse verò præsuppositam in genere causæ finalis, sed non absq; ordine ad peccatum. Ità vt ex vi decreti incarnandi, quod fuit de facto in Deo Verbum diuinum carnem humanam non assumpsisset, peccato hominis non existente; Addimus quod nec etiam ex vi alterius decreti incarnandi, Verbum diuinum, seu alia persona infallibiliter assumpsisset carnem humanam si Adam non peccasset Quis .n. certò nouit sensum domini? Quod si dicas vnde sumamus nos eum infallibiliter non venisse peccato non existẽte? Audisti Tam Sanctum Patrem Augustinum, & Sanctũ Tho. & ratio etiam id nobis suadet, etenim si non pręsciuisset peccatum, poterat ipse Deus pro sua libertate ordinare, quod sibi placuisset, & sicut virtute alterius decreti potuisset Deus incarnari Adamo non peccante, ità etiam virtute alterius decreti, quod potuit habere non existente peccato potuisset non incarnari, vnde non est magis nobis certum esse futurum vnum potius, quam aliud ex vi alterius decreti. Non est itaq; scibile, quod in particulari sua libera voluntate esset Deus circa mysterium incarnationis determinaturus,

naturus, ex hypothesi, quod Adam non peccasset nisi, iuxta sacram Scripturam & doctrinam Sanctorum Patrum.

De termino seu persona terminante naturam humanam Christi. VIII.

CVm asserat S.Tho. 2.p.q.3.a.4. Proprium esse diuinæ Personę propter eius infinitatem, quod in ea fiat cōcursus plurium naturarum secundum subsistentiam; Dicimus quod terminans immediatè,& per se primo,& formaliter naturam humanam, vt quod, est solum Verbum diuinum, cum solus Filius sit homo. Id autem quo per se primo, & formaliter Verbum terminat humanitatem est personalitas propria seu proprietas eius relatiua, per quā constituitur in esse filij. Nam Verbum non terminat formaliter,& immediatè naturam humanam per subsistentiam absolutam vel per aliquid commune toti Trinitati, vt definit Conc.Tolet.6.& 11. dicens Solus filius assumpsit humanitatem in eo quod proprium est filij, non verò in eo quod comune est toti Trinitati: Infinitas autem personæ Verbi est conditio seu aliquid necessario præ requisitùm, vt Verbum terminet naturam humanam: Quo fit vt addamus suppositum creatum etiam de potentia Dei absoluta non posse alienam substentare naturam. Siquidem si persona creata terminaret alienam naturam necesse esset, vt concurreret ad eius terminationem, vt causa principalis, quia alienam naturam terminare nihil aliud est, quam communicare illi esse personale proprium, & cōcurrere ad aliquid vt causa principalis est concurrere per propriam virtutem seu propriam formam seu proprium esse; patet autē quod ad prestandum id quod excedit facultatem potentiæ creatæ, vt est terminare alienam naturam in causa principali, seu persona terminante est necessaria virtus infinita, cuius cum tanquam propriæ formę sit incapax quæcumq; persona creata impossibile est, vt ipsa etiam per potentiam absolutam alienam terminet naturam. An verò Naturę diuinæ, vt sic cōueniat assumere seu terminare naturam creatam? Dicas quod in incarnatione de possibili Natura diuina

uina abstracta à relationibus, si precisè consideretur vt natura seu tamquam forma nullam habens propriam, & singularem subsistentiam, sed tantum existentiam, non potest vt sic intelligi assumere naturam creatam, quia nihil posset natura diuina, vt sic cômunicare naturæ creatæ; Nec dijudices in tali casu ei posse communicare suam existentiam trahendo naturam creatam ad existendum suo esse seu sua existentia diuina; Arbitramur enim, quidquid Alij dicant, hoc genus vnionis omnino implicare contradictionē, quia impossibile est vt aliqua entitas realis existat per existentiam vel entitatem realiter tanquam res à re rigorosè distinctam sicut impossibile est, vt aliqua entitas per entitatem à se indistinctam in esse entitatis constituatur, ex eo vel maxime cum sustineamus nihil aliud esse per existentiam constitui, quam formaliter fieri entitatem actualem. Si autē intelligatur natura diuina abstracta à tribus personis, & esse hunc Deum subsistentem propria, & singulari substentia absoluta, & essentiali communicabili, quam de facto naturę diuinę côcedimus etiam vltra existentiam absolutā non veremur affirmare, quin Natura diuina sic concepta possit immediatè assumere naturam creatam, illam terminando per talem subsistentiam essentialem pręcisè; Et licet hic homo in eo casu ex vi illius absolutę & communicabilis subsistentię absolutæ, qua precisè humanitas terminaretur, non esset quidem persona formaliter, & côpletè, sed ad summū materialiter vt dicimus etiam de hoc deo, tamen in re ipsa natura humana terminata ab illa subsistētia diuina absoluta esset persona formaliter per subsistētias relatiuas à quibus secundariò terminaretur, cum quicquid competat naturæ diuinæ communicabili ratione sui competat tribus diuinis personis.

De Termino Vnionis resultante. IX.

CHristus inquit S.P. Augustinus in Ench. cap. 35. & alibi, erat Deus & homo, Deus, quia Deus erat Verbum, homo quia in vnitatem personæ accesserit Verbo anima rationalis, & caro. Quem sequitur S.Tho. 3.p. q.2.a.2.& 3. dicens

dicens quod vnio Verbi incarnati est facta nō in natura sed in persona; quia ex duabus naturis vnitis hypostaticè diuina.s. humana non resultauit vna natura, vt natura significat essētiam, vel quod quid est siue quidditatem speciei sed est facta in persona quia omne quod in est alicui personæ siue pertineat ad naturam eius siue non vnitur ei in persona; Affirmamus inde Christum duabus constare naturis diuina scilicet, & humana in eadem persona Verbi vnitis, manentibus integris, & inconfusis terminatis ab vna subsistētia, seu persona verbi diuini, & itā terminus vnionis nō fuit aliqua substantialis natura ex humanitate, & diuinitate cōstituta, sed fuit persona verè composita ex duabus naturis, scilicet ex diuina & humana. Hinc terminus totalis vnionis hypostaticę si rem ipsam attendamus, nec est præcisè aliquid creatum, nec aliquid increatum, sed includit vtrūq; Terminus autem magis formalis & principalis est quid increatum, cum personalitas ipsa Verbi habeat rationē actus terminantis humanitatē, vnde est terminus magis formalis quam ipsa humanitas. Absolutè tamen loquendo terminus vnionis huiusmodi est quid increatum, cum sit persona Christi quæ cū sit persona Verbi absolutè, est quid increatum quamuis in obliquo includat naturam humanam quæ est quid creatum.

De eo quod potuit à Deo assumi per quamcumq; vnionem hypostaticam possibilem. X.

EX eo quod doceat S.Tho. 3.p.q.4. a.2. quod si persona humana prȩintelligeretur assumptioni, oporteret, quod corrumperetur, & ibidem a.1. ad 3. quod Angelus præexistens nō posset in vnitatem diuinæ personæ assumi nisi eius personalitas destrueretur, quod cum incorruptibilitati eius naturę non conueniret, posset Deus producendo nouā angelicam naturam copulare sibi in vnitate personæ, & sic nihil prȩexistens ibi corrumperetur; Asserimus Personā creatam formaliter non esse assumptibilem, est enim clara implicatio contradictionis quod personalis subsistentia cum sit per se interminabilis, vel incommunicabilis, & ex consequenti

sequenti habeat intrinsecè quod non subsistat in alio tanquam in supposito, alias terminus ea ratione qua est terminus terminaretur,& sic non esset terminus,quod aperte implicat contradictionem.Dicas quoq; Naturam præexistentē in propria persona creata posse assumi si per assumptionem, & vnionem ad aliā personam, priuetur propria personalitate quia sic natura est terminabilis, & communicabilis. Virtus autē Dei cum sit infinita non minus potest effectiuè expellere propriam præexistētem personalitatem, quam ne sequatur impedire, vt de facto impediuit in natura humana assumpta à Verbo. Vtrum verò natura creata terminata propria personalitate posśit assumi conseruata propria personalitate, ita vt nec talis personalitas assumatur sed concomitanter maneat terminans suam naturā? Quia S.Tho. 3.p.q.3.a.6. expresśè docēdo sic discurrit Tres personæ diuinæ possunt subsistere in vna natura diuina, ergo etiam possunt subsistere in vna natura humana à tribus assumpta personis. Hoc exemplum reddit difficile quæsitum, siquidem eadem natura existens in vna persona aliena potest assumi, & terminari in alia, non amittendo priorem personalitatem ergo videtur quod eadem ratione natura existens in propria persona posset assumi & terminari ab aliena persona. Valeant tamen affirmantes, sequimur nos firmiter negantes hac porisśimum ratione (quicquid Alij dicant) siquidem vna Natura non potest simul terminari etiam de potentia Dei absoluta duabus personalitatibus quæ non tantum in propria personalitatis & in cōmunicabilitatis ratione, sed etiam in ratione entitatiua subsistendi genere, ne dum specie distinguantur, vt sunt personalitas finita & infinita, creata & increata, alias illa natura creata cū propria personalitate assumpta ab increata personalitate esset simpliciter, & absolute quid creatū, & quid increatum in recto; quod implicat.

De Gratia Christi habituali. XI.

AVdiatur S. P. August. 15. de Trinit. cap. 26. vbi ait. Dominus ipse Iesus non solū spiritū dedit vt Deus, sed

sed etiam accepit vt homo, & vt propterea est plenus gratia, quia vnxit eum Deus Spiritu Sancto non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizzatos vngit ecclesia. Quem sequitur S.Tho. 3.p. q.7. a.1. affirmando quod in Christo fuit gratia habitualis. Cumq; Concil. Trid. Sess. 6. cap. 7. & can. 11. determinet hominem iustificari per inhærentem gratiam; Hinc putamus, quod cum gratia inhęrens creata abstrahat ab actuali, & habituali, non esse certum secundum fidē ità vt oppositum sit manifesta hæresis aut error in fide, quod gratia Christi Domini sit habitus, esse tamen adeo certum vt oppositum sit temerarium, periculosum, & errori proximum; Definit.n. idem Conc.Trid. Sess.6.cap.14.& Sess. 14.ca.1.& 4. Gratiam comparatam per baptismum,& ammissam per peccatum, posse iterum per pænitentiam reparari; Quod certe nobis dici non posse videtur nisi de gratia habituali & permanente, nam illa habitualis est quę per baptismum comparatur. Dogma tamen fidei est in Anima Christi fuisse gratiam formaliter secundum suum effectum formalem præter gratiam vnionis; ita vt fuit in eo gratia infusa inhærēs creata simul tempore cū gratia vnionis in primo instanti suæ conceptionis. Ipse tamen Christus vt homo ex vi vnionis hypostaticę, prius natura quam reciperet gratiam inhærentem fuit simpliciter sanctus, gratus & acceptus Deo sanctitudine nimirum personali, non formali nisi tantum radicaliter; ità vt nec etiam per potētiā Dei absolutā potuerit esse gratus Deo formaliter absq; inhęrente gratia. Immò cum ad meritum supernaturale ne dum requiratur dignitas personæ, sed etiam sit simpliciter necessariū quod operatio à merente referatur in Deū per actum charitatis, vt in finem supernaturalem, & debeat esse etiam in proportione cum pręmio, ne dum moraliter, sed entitatiuè; Profitemur quod absolutè loquendo necessarium fuit Christo aliquod donum inhærens supernaturalis ordinis vt humanæ operationes eius essent intrinsecè & formaliter meritoriæ supernaturalis, premij, ità vt aliter esse tales non possent etiam de potentia Dei absoluta.

DOcet S. Tho. 3. p. q. 7. a. 11. quod Gratia Christi secũdum quod ens est quoddam, est finita & ibidẽ a. 12. ad 2. subdit quod virtus diuina potest facere aliquid maius, & melius quàm sit gratia habitualis Christi. Asserimus inde quod si talis Christi gratia consideretur secũdum rationem phisicam & differentiam specificam quæ illi competit intra genus qualitatis, penes hoc est finita; cum in specie determinata constituatur, & omnis species per differentiam determinetur; si verò concipiatur eadem gratia finita entitatiuè secũdum dignitatem moralem quam habet quatenus est in Christo dicas quod de potentia Dei etiam absoluta non potest produci maior gratia in genere gratiæ; sic etenim concepta aliquo modo ab intrinseco ratione diuini suppositi est infinita moraliter. An verò eadem gratia Christi, vt præcisè gratia habitualis est, secundum propriã rationem gratiæ sit simpliciter dicenda infinita? Affirmamus ly simpliciter idem sit, seu significet quod absolutè, & quod nullo addito dicitur tale. quo pacto sumit simpliciter S. Tho. 3. p. q. 50. a. 5. & 2. 2. q. 58. a. 10. ad 2. Negamus vero ly simpliciter sonet, de totaliter vel omnibus modis tale, vt sumit ibidem S. Tho. Dicatur itaq; Gratiã Christi in esse gratię simpliciter primo modo esse infinitam ex eo quod habet quicquid potest pertinere ad rationem gratię, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram, id quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quod secundum propositum Dei cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura, vt docet S. Tho. 3. p. q. 7. a. 11. Non est autem dicenda gratia Christi simpliciter secundo modo, hoc est omnibus modis infinita, quia non est infinita in genere entis, neq; in esse qualitatis, neq; secundum essentiã specificam, vt iam visum est, sed tantum simpliciter absolutè sine addito est infinita, quia data est Christo ad omnia munera, seu effectus gratiæ. Non tamen arbitramur contradictionem implicare, vt possit de potentia Dei absoluta dari gratiam in puro homine tam intensã in gradibus qualitatis,

litatis,

litatis, quàm est gratia Christi. At certum est, fieri nō posse secundum legem Dei ordinariam, vt aliquis crescendo in gratia perueniat ad intensionem gratiæ Christi, facultas etenim, auxilia, & periodus vitę, & alia necessaria ad augumentum gratię ità sunt concessa, & commensurata hominibus, & Angelis, vt nullus posit, neq; vmquam potuerit tā excelsum terminum gratiæ attingere. Minus enim potest peruenire ad quantitatem maioris per augumentum in his, quæ habent quantitatem vnius rationis; Quamobrem cum gratia alterius hominis comparetur ad Christi gratiam, sicut quędam virtus particularis ad vniuersalem, pro certò tenemus, quod gratia alterius hominis, quantuncunq; crescat non posit adęquare Christi gratiam in intensione gradum qualitatis.

De Dignitate gratiæ Capitis quæ est in Christo.

S. P. Augustinus conc.3. in Psal.36. sic nos illuminat. Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus, numquid soli nos? & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes (inquit) qui ab initio sæculi fuerunt iusti, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt vna Ciuitas fiat sub vno Rege, & vna Prouincia sub vno Imperatore. Quem sequitur S. Tho. 3. p. q. 8. a. 4. dicens Christum non solum esse caput hominum, sed etiam Angelorum. Quibus tamen non obstantibus asserimus Angelis non fuisse collatam gratiam, & gloriam essentialem ex meritis Christi. Docet enim expresè S. Tho. in 3. d. 13. q. 2. a. 2. questiuncula 1. quod Christus vt homo non influit in Angelis remouendo prohibens scilicet peccatum, aut infundendo gratiam & de verit. q. 29. a. 4. ad 5. Influxus in Angelos non est vt finis Incarnationis, sed vt incarnationē consequens; & a.7. ad 5. inquit Christum non mæruisse Angelis præmium essentiales, quod etiam innuit 3. p. q. 59. a. 6. ad 1. Vbi concedit quod Christi potestas iudiciaria in fine mūdi non se extendet ad Angelos bonos vel malos quātum ad præmium essentiale, & pænam principalem. Non negamus tamen gratiam Angelorum quantum ad aliquas

perfectiones accidentales collatã fuisse illis ex mæritis Christi, & ita ipsum fuisse caput Angelorum; An verò gratia status innocentiæ fuerit Adę collata ex męritis Christi? Si consideretur talis gratia secundum substantiam & secundũ quod formaliter pertinebat ad statum innocentiæ, esto cõclusio negatiua. Nam vt iam visum est, Christus in quantum homo fuit causa mæritoria illius dumtaxat gratiæ, per quam liberantur homines a peccato, quiã venit vt Redemptor, gratia autem status innocentiæ, vt sic erat gratia sani, & non infirmi. Ac proinde si concipiatur gratia status innocentię secundum quod post peccatum fuit reparata per pænitentiã Adæ, fatemur per libenter sic eam fuisse ex mæritis Christi. Dicas etiam Christum in quantum est homo, esse vniuersale caput totius Ecclesiæ triumphantis, supposito mysterio incarnationis, eo modo quo ipsum factũ est, Homo etenim si non peccasset Verbum carnem humanam non assumpsisset, & consequenter Christus, vt homo nõ esset caput Ecclesiæ sed solum in quantum Deus sicut fuit in statu innocentiæ prout status innocentiæ erat.

De influxu Christi, vt est homo, & caput Ecclesiæ. XIII.

COtrouersantes Thomistæ perpendant quæso S. Thó. 1. 2. q. 112. a. 1. ad 1. dicentem quod humanitas Christi est sicut quoddam organum diuinitatis eius, & ideo nõ causat gratiam propria virtute, sed vt instrumentum virtute diuinitatis adiunctę, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares & 3. p. q. 64. a. 3. Christus quatenus Deus operatur in sacramentis per auctoritatem, secundum autẽ quod est homo operatur ad interiores effectus sacramentorum, & meritoriè & efficienter, sed instrumentaliter. Hanc obrem sustineamus, quod omnis gratia collata hominibus, & conferenda mysterio incarnationis peracto depẽdet moraliter, & efficienter phisicè ex humanitate Christi, sed solum tamquam per instrumentum coniunctum diuinitati; siue quando erat in hac vita mortali, siue nunc regnans in Cælis. Humanitas .n. Christi non habet aliquam formam propriam supernaturalem, per quam physicè vt

causa

causa principalis etiam secundaria producat in nobis gratiam habitualem, & alios supernaturales effectus, sed solum eos attingit, quatenus mouetur à Verbo diuino, quod est efficere instrumentaliter. Nihilominus humanitas Christi non potuit esse causa efficiens physica instrumentalis gratię quæ ante incarnationem data est Antiquis Patribus, sed solum fuit causa moralis; impossibile namq; putamus rem prout non habet esse actuale in se ipsa concurrere efficienter physicè, & instrumentaliter ad aliquem effectum: & licet res futura sit pręsens Deo in ęternitate, existentia tamē illa in æternitate etiam secundum realem præsentiam, non est sufficiens, vt instrumentum operetur, ex eo vel maximè quod effectus, & causa oportet simul coexistant in propria mensura temporis; Hinc etiam licet pręterita habuerint existentiam sicuti actio, vel passio Christi ea ratione, qua re vera fuit mutatio quædam, vel quoddā fieri, quod pertransijt firmiter affirmamus, non posse esse instrumentum nec actionem phisicam verè, ac propriè efficientem supernaturalem effectū, qui nunc fit. Siquidem si res quæ fuit omnino iam non est, non magis est apta ad physicè agendum, quam si nunquam fuisset, quia nihil prorsus entitatis habet, qua possit assumi, & eleuari ad physicam instrumentalem operationem. Cum autem S.Tho.3.p.q.49.a.6. & alibi asserat Christum per passionem, & resurrectionem suam efficere in nobis iustitiam vel resurrectionem; eum non loqui existimamus de passione & resurrectione, vt fuit quidam motus vel actio quę pertransijt, & quatenus pertransijt, sed vt aliquo modo intelliguntur hæc manere in ipsa humanitate in qua passio, & resurrectio facta est. Et secundū quādam accomodationem ipsa Christi humanitas prout passioni, vel morti subiecta fuit, dicitur esse instrumentum ad liberandum nos à morte peccati, vt vero resurrexit dicitur accomodatum principiū nostræ resurrectionis vt docet expressè S.Tho.3.p.q.56.a.1.ad 3. dicens Resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis in quantum humanitas Christi secundum quam resurrexit est quodammodo instrumētum diuinitatis ipsius, & operatur in virtute eius.

SAnctus Pater August. Illud Ioan.cap.1.exponens: Vidimus gloriam eius gloriã quasi vnigeniti à patre plenum gratię, & veritatis; idest scientiæ ait ipse. Quem sequitur S.Tho.3.p.q.x.a.2.affirmans, quod Anima Christi scit omnia, quę Deus in se ipso cognoscit per scientiam visionis, non tamen omnia quæ Deus cognoscit per scientiã simplicis intelligentiæ. Secludimus itaq; ab anima Christi scientiam illam quam mediam quidam fingunt in Deo, & asserimus, quod sicut Christus à primo instanti suę conceptionis fuit vnigenitus à Patre, ita etiam fuit plenus scientiæ, vt tantę personæ decebat dignitatẽ, & ita anima Christi nihil eorum nesciuit quę in aliqua temporis differentiã existentiam habitura sunt, & quamuis demus ex rebus quæ in sola diuina potentia continentur, & ab ea fieri possunt, aliquas nõ cognouisse, tamen illa carentia seu negatio scientię non potest dici vera ignorantia, cùm non sit priuatio illius scientię quæ in esse deberet iuxta cõditionem, & statum proprię naturæ, & officij.

De impeccabilitate Christi. XV.

DOctissimorum tandem Doctissimus Pater Augustinus, cui Christus ipse ecclesiam suam commendauit, vnde ab ipso Malleus hæreticorum firmamentum ecclesiæ, ac doctorum lux appellatur, lib.2. de peccatorum meritis, & remiss. cap.11. ait. In Christi non tantum diuinitate, sed neq; in anima, neq; in carne vllum potuit esse peccatũ. quod confirmat lib. de correct. & gratia cap. 11. & lib. de prædest. s.s. cap.15. & in Enchirid. ad lautent. cap.40. quẽ sequitur vniuersa ferè Theologorum schola, sed præcipuè S.Tho.3.p.q.15.a.1. dicẽdo quod Christus nullo modo assumpsit defectum peccati nec originalis nec actualis; ex eo fortasse etiam quia ipsemet bonus Christi scriptor q.29. de verit. a.1. ad 1. ait Quod illa quæ nata sunt personę conuenire ratione sui ipsius, non possunt dici de Christo si habẽt repugnantiam ad proprietates personæ, quæ sola in eo est.

Hinc

Hinc valde nobis displicet sententia asserentium in eo casu quo humanitas in verbo peccaret nullum incommodũ fore per communicationem idiomatum peccatũ actuale Deo tribuere sicut mortem. Iam enim patet quod prædicata naturę humanæ quæ per se primo conueniunt supposito si habeant repugnantiam cum hypostasi seu persona Verbi nõ possunt de illa etiam per communicationem idiomatum prædicari. Addas, quod suppositum naturę, cum teneatur impedire peccatum, si potest, ne peccet saltim indirectè vt docet S.Tho. 1.2.q.79.a.1. dicendo Deum non esse causam peccati etiam indirectè, quia licet posit vitare peccata tribuendo hominibus auxilium ad euitandum peccatum, quod si præberet non peccarent, non tamen tenetur dare huiusmodi auxilium, nec vitare peccata; Hinc dicimus quod nec etiã de potentia Dei absoluta potuit humana natura in Christo peccare. Faxit Deus optimus max. vt simus etiam & nos per meritum infinitum Christi in eorũ numero relati de quibus ait Ioan. epist. 1. can. cap. 3. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit quoniam semen ipsius in eo manet, & nõ potest peccare, quoniam ex Deo natus est. sicut nos sustinemus. Interim Te Deũ laudamus, quod si peccat caro, purgat caro, regnat Deus Dei caro.

Disputabuntur publicè in S. Nicolai Pisarum Templo, pro Festo S. Catharinæ, Hora 20. Argumentis satisfaciet F. Felix ab Ophida Studentium Magister, sub P. Magistri Cypriani Masi Florentini Regentis fælici, ac tuto præsidio.